



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Tilman||ni Smelingi Segeber=||gensis de VII.  
Sacramentis Liber I. in || VII. capita iuxta numerum  
sacramen||torum digestus, quorum assertionem,||  
defensionemq[ue] aduersus hæreticos con||tinet, ...**

**Smelingus, Tilmannus**

**Coloniæ, 1538**

**VD16 S 6802**

De Sacramento extremæ vnctionis. Capvt VII.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-30214**

liter filios propagare, quia illius populi generatio, nuncia futuroꝝ erat, & ad dispensationem propheticam pertinebat. Ideoꝛ non sicut vni viro etiã plures habere licebat vxores; ita vni fœminæ plures viros. Occulta enim lege naturæ, amant singularitatem, q̄ principantur. Subiecta vero non solum singula singulis, sed si ratio naturalis vel socialis admittit, etiã plura vni non sine decore subduntur. Neq̄ em̄ sic habet vnus seruus plures dños, quõ plures serui vnum dñm. Ita duobus vel tribus maritis vis nullã legimus seruisse sanctarũ: plures aut̄ vni viro legimus coniunctas, quum gentis illius societas sinebat, & temporis rō suadebat. Neq̄ enim contra naturam nuptiarũ est. Plures em̄ fœminæ ab vno viro fœtari p̄nt, vna vero a pluribus non potest. Hæc est principiorũ vis, vt plures fœminæ vni viro sint, sicut multæ animæ vni deo recte subduntur. Ideoꝛ non est verus deus animarũ nisi vnus, vna vero ania per multos falsos deos fornicari potest, non fœcundari.

DE SACRAMENTO  
extremæ vnctionis.  
CAPVT VII.



Abolutis sex sacramentis, septimũ extremæ vnctionis sacramentum, paucis absoluemus. Sacramentum enim est et dicitur vnctio extrema, ad differentiam aliarũ vnctionum. Est enim quædam vnctio spiritalis & inuisibi

lis, qua Christus vnctus dicitur oleo lætitiæ p̄  
 participibus suis, a quo etiam oēs fideles vncti  
 .i. Christiani dicuntur. Vnde Iohan. dicit: Vos  
 vnctionem habetis a spū sancto. Præterea alia  
 est vnctio visibilis, q̄ sacramētum non est, sed  
 quoddā sacramentale disponens ad sacramen-  
 ti & sacramentalis gr̄æ susceptionem. Et hac  
 vnctione (cuius oleum ab episcopo in die cœ-  
 næ dñicæ consecratur) inunguntur catechume-  
 ni ante baptismum in pectore & scapulis, &  
 manus sacerdotum in eorū consecratione. Itē,  
 ecclesiæ altaria, calices & patinæ & eius ge-  
 neris instrumenta aut vasa dñica. Peæter has  
 vero vnctiones, est alia corporalis & visibilis  
 vnctio, q̄ datur ad mortem vsq̄ infirmis con-  
 tra venialia pctā & aliorū pctōrum reliquias,  
 quam esse sacramentum vnum e numero septē  
 sacramentorū ecclesiæ, testatur Apost. Iacobus Iaco. 5.  
 in canon. sua epistola in hæc verba de ea scri-  
 bens: Infirmatur quis in vobis, inducat p̄sby-  
 teros ecclesiæ, & orent super eum, vngentes eū  
 oleo in nomine dñi, & oꝛo fidei saluabit infir-  
 mum, & alleuiabit eum dñs, & si in peccatis  
 sit, remittentur ei. Hic diuus Iacobus expri-  
 mit omnia, quæ ad sacramenti rationem perti-  
 nent, nempe sensibile signum in vnctione olei  
 consecrati, quod est materia huius sacramenti:  
 formam quoq̄, quam dicit esse oꝛonem. Vnde  
 addit, & orent super eum. Propterea ecclesia  
 quando hoc sacramētum alicui impendit, hac  
 vtitur forma verborū: Per istam sanctam vn-  
 ctionem & suam p̄ssimam misericordiam in-  
 dulgeat tibi dñs qcquid deliquisti, per visum,

per auditū, &c. Et quia dñs deus ꝑcipue operat̃  
 in sacramentis suis, quorū ipse est author, ideo  
 apost. subiungit: Vngentes eum in nomine dñi, &  
 alleuiabit eum dñs per misericordiā suā. Postre-  
 mo effectū siue fructū principalē huius sacra-  
 menti subnectit dicens: Et si in peccatis sit re-  
 mittentur ei. Hic est em̃ oīs fructus, ait prophe-  
 ta, vt tollat̃ p̃ctm̃. Hunc fructū significat ole-  
 um, quo morbo affectus delinitur. Solet em̃ ole-  
 um sanitati haud par̃ conferre & infirmis au-  
 xilio esse. In confesso ergo est, extremā vnctio-  
 nē, iuxta apost. sententiam, esse sacramentum,  
 cuius finitio hisce verbis rite conficitur. Extre-  
 ma vnctio est sacramentū, quo hō infirmus &  
 p̃nitens vngitur in certis partib. corporis (ihs  
 p̃sertim quibus frequenter peccauit venialiter)  
 oleo consecrato ab episcopo, per sacerdotem si-  
 mul verba certa ad hoc instituta, cū int̃tōe de-  
 bita proferentē. In hac descriptione oīa tangū-  
 tur q̃ sunt de ratione huius sacramenti, mini-  
 ster debitus, recta ministri intentio, vera mate-  
 ria, forma instituta, & loca vngenda. Institutio  
 huius sacramēti apud Marcū habetur, vbi ap̃  
 ꝑcepto Ch̃i populo ꝑdicauerunt p̃nitentiā:  
 Et exeuntes, inquit, ꝑdicabant vt p̃niam agerēt,  
 & demonia multa eiſciebant, & vngēbāt oleo  
 multos ægros, & sanabantur. Hoc ergo sacra-  
 mentū quod Ch̃s ante passionē suam instituit,  
 apost. Iaco. promulgauit & ꝑdicauit. Vñ Beda  
 verba Marci exponēs dicit: Hinc patet, ab ip-  
 sis apost. hunc sanctæ eccl. morē esse traditum  
 vt energumēni, vel alij quilibet ægroti vngant  
 oleo pontificali benedictione cōsecrato. Et su

Esaie. 27.

Gen. 2.

Marc. 6.

Beda.

per p̄dicta Iacobi verba ita dicit: Hoc & apo. in euang. fecisse leguntur & nunc cōsuetudo ecclē. tenet, vt infirmi oleo cōsecrato vngantur a p̄sbyteris, & orōne comitante sanētur. ¶ Verū q̄a tota ecclē. iā inde ab aposto. t̄p̄e extremā vnctiōne pro sacramēto habuit, in re adeo manifesta nolo esse verbosior. Operā p̄ciū autem duxi rationes, aut potius nugas, Lutheri expendere, quibus hoc sacramentum imo Apost. et in apосто. Ch̄m, oppugnat. Neq̄ em̄ hic cōsuetis tm̄ armis vtitur, quibus plerumq̄ deprauādo scripturas, hostē solet laessere: quod non est factu difficile, quum iuxta Comici vocē, nihil sit tā bene dictū, quin narrādo possit deprauari: sed etiam nouas inuenit artes & fraudes ingeniosa ac p̄sumptuosa perfidia, nimiaq̄ nocendi libido. Et quia apostoli verba extremam vnctiōnem manifestissime sacramentum esse declarant quibus aliqua ratione homo versipellis contraire non potest, primum detrahit libro pondus & auctoritatem, dicēs multos probabiliter asserere eam epistolam, in qua scribit de vnctiōne infirmorum, non esse Iacobi nec Apostolico spiritu dignam: licet consuetudine auctoritatem, cuiuscunq̄ sit, obtinuerit. Deinde quia negare eam epistolam esse IACOBI reclamante mundo, sibi quoque videbatur absurdum (eadem enim ratione qua asseritur, cōtemnitur) alia ingreditur via atque APOSTOLO in faciem resistit, muliercularum more, quæ vbi deficit ratio, conumelijs & conuicijs rem agunt. Dicit enim, quod etiam si epistola hæc sit IACOBI, non

tamen licere Apostolo sua autoritate sacramentum instituere, quia hoc ad solum Christum pertinet. Non est opus, opinor, refellere, quod falso iactat multos probabiliter asserere eam epistolam non esse Iacobi, qui ne unum quidem producere potest. Nisi forte hos multos Luth. progenitores suos velit intelligi: Vualdenses, Vuiclephenses, Hussenses, q̄ extremam unctioem haud veriti sunt dicere, non esse benedictionis sed maledictionis sacramentum, ex quibus pestifera sua dogmata hausit. Nam dimisso vitæ fonte, fodit sibi has turbidas hæreticorum cisternas soli dissipatas. Hos si multos esse putat, non reluctabor, quia stultorum infinitus est numerus.

**Gala. 3.**

**Matt. 3.**

**Luc. 3.**

**Iohan. 8.**

Quantum tamen ad epistolam Iacobi pertinet plures orthodoxi patres sunt pro nobis, quam infideles hæretici pro Luthero. Forte suos affectus intelligit, quos multos pro dolor esse non negamus, quibus homo reprobus circa fidem sub imagine veri fucum fecit, ut videntes non videant, per quos via veritatis blasphematur, qui & eius luxurias sequuntur: quibus merito dicere possum, quod Galatis, miserantis affectu dixit Apostolus: O insensati perditionis ac diffidentiae filii, genimina viperarum, quos vos fascinavit non obedire veritati, ante quorum oculos Iesus Christus proscriptus est, & in vobis crucifixus? Progenies viperarum, quis demonstrabit vobis fugere a ventura ira? Facite ergo fructus dignos poenitentiae. Et ne coeperitis dicere: Patrem habemus Lutherum aut deum. Vos enim ex patre diabolo estis, & desideria patris vestri facitis. Ille homicida erat ab ini-

tio, & in veritate nō stetit, q̄a non est veritas in  
 eo. Quū loquitur mendaciū, ex proprijs loqui  
 tur, quia mendax est & pater eius. Sed ad rem  
 redeamus. Ex catholicis doctorib, nemo est q̄  
 dubitat hanc epist. eē Jacobi, quā recepit eccle.  
 cuius approbatione etiā obtinet auctoritatem.  
 Quod si iudiciū auctoritatē q̄ eccle. contēnit,  
 & euangelio et epist. Pauli detrahat pondus ne  
 cesse est, quia nullā scripturā habet, nisi eā quā  
 recepit ecclesia. Et etiā si olim aliquādiu de au  
 thore huius epist. dubitatū fuisset, quid ad nos,  
 qui certo iudicio ecclesiæ scimus hāc epist. esse  
 Jacobi apost. sub cuius noīe olim pleno consen  
 su est recepta, & nunc publice in ecclesia legi  
 tur, ita vt de ea dubitare minime liceat. Non du  
 bitauit de ea B. Hiero. scribēs ad Paulinum in  
 prologo de oibus diuinæ historiæ lib. Iacobus,  
 inquit, Petrus, Iohan. Iudas, septē epistolas edi  
 derunt tam mysticas quā succinctas, et breues  
 pariter & longas, breues in verbis, lōgas in sen  
 tentijs, vt rarus sit, qui non in earū cæcutiat le  
 ctione. Et in prologo quē scripsit in septē cano  
 nicas epist. ad Eustochiū ita habet: Non ita est  
 ordo apud Græcos qui integre sapiunt fidēque  
 rectā sectantur, episto. septē quę canonicæ nun  
 cupantur, sicut in latinis codicibus inuenitur,  
 vt quia Petrus est primus in ordine apost. pri  
 mæ sint etiā eius epistolę in ordine ceterarum.  
 Sed sicut euangelistas dudū ad veritatis line  
 am correximus, ita has proprio ordini deo iu  
 uāte reddidimus. Est em̄ prima earū vna Iaco  
 bi, duæ Petri, tres Iohannis & Iudæ vna.

Hierony.

¶ Nec dubitauit August. qui non vno loco

epistolam Iacobi cæteris canonicis epist. annu-  
merat. Libro secundo de doctrina Chriana c.  
8. canonē scripturaz recensens, sic dicit: Noui  
testamenti authoritas terminatur quatuor lib.  
euangeliij, secundum Mattheū, secundū Mar-  
cū, secundū Lucam, secundum Iohan. quatuor  
decim epistolis Pauli apostoli, ad Romanos, ad  
Corinthios duabz, ad Galatas, ad Ephesios, ad  
Philip. ad Thessa. duabus, ad Col. ad Timoth.  
duabz, ad Titum, ad Philemonē ad Hebrose,  
Petri duabus, tribus Iohan. vna Iudæ, & vna  
Iacobi, actibus apostolorum libro vno, & apo-  
calypsis Iohannis libro vno. Et libro de fide et  
operibus ex epistola Iacobi docet ratione, scri-  
pturis & exemplis, fidem sine operibus mor-  
tuam esse & non sufficere ad salutem, confu-  
ratque heresim eorum qui fidei prætextu ope-  
ra contemnebant: quam nunc Lutherus rursus  
produxit in lucem, docens fidem absque operi-  
bus sufficere ad salutem. Hoc etiam est in cau-  
sa, cur Luthero displiceat epistola Iacobi, ne-  
getq; eam apostolico spiritu dignam, quę insa-  
num eius dogma de fide & operibus funditus  
subuertit. Vnde dicit Augustinus: Quoniam  
hæc opinio apostolorz tempore fuerat exorta,  
aliæ apostolicæ epistolæ, Petri, Iohannis, Iaco-  
bi, Iudæ, contra eam maxime dirigunt intenti-  
onem, vt vehementer astruant fidem sine ope-  
ribus nihil prodesse. Et paulo post: Iacobus au-  
tem vehementer infestus est eis, qui sapiunt fi-  
dem sine operibus valere ad salutem, vt illos  
etiam dæmonibus comparet. Horum igitur  
duorum testimonium pro autoritate epistolæ



beati Iacobi apostoli sufficere debet aduersus vnum blasphemum hæreticum Lutheri. Non ergo cōsuetudine, vt Lutherus deblaterat, sed ecclesiæ censura auctoritatem obtinuit. Et in hac re plus credendū puto Hieronymo & Augustino, quam Luthero.

¶ Olīm forte a quibusdam dubitatum fuit cuius nam illa esset epistola, quum res adhuc non esset tam pleno ecclesiæ consensu firmata. Non tamen dubitauit ipse Hieronymus qui sine vlla dubitatione eam epistolam esse Iacobi pronunciat. Quod quo magis fiat manifestum verba eius referam, quibus docet & quosdam de illa epistola dubitasse cuius esset, & se nō dubitasse. Sic enim scribit in catalogo scriptorū ecclesiasticorū: Iacobus, qui appellatur frater domini, cognomento Iustus post passionem domini, statim ab apost. Hierosolymorū episcopus ordinatus, vnam tm̄ scripsit epistolā, q̄ de septē catholicis est, q̄ & ipsa ab alio quodā sub noīe eius edita asseritur, licet paulatim tempore procedente obtinuerit auctoritatē. Hic Hierony. primum suam pronunciat sententiā, videlicet Iacobum vnam tm̄ scripsisse epistolā, quæ de septem canonicis est, deinde opinionem aliorum qui ab alio quodam sub nomine eius editā putabant. Nec a sententiā Hieronymi discrepat, quod scribit Eusebius Cæsariensis Ecclesiasticæ historiæ libro secūdo capite XXIII. Hactenus, inquit, de Iacobo, cuius illa habetur epistola, quæ prima scribitur inter eas q̄ Catholicæ appellantur. Sciendum tamen est, quod a nonnullis non recipiatur, nec facile q̄s antiquorū

hic Eusebius epistolam Iacobi cū cæteris ab omnibus pene recipi. Quod si verè est, a nobis quoq; debet recipi secundum doctrinā Augur. 2. lib. de doctrina Chriana dicentis: In canonicis scripturis ecclesiæ catholicæ q̄ plurimū auctoritatē sequi debet diuinæ scripturarum solertiss. indagator, inter quas sane illæ sunt q̄ aposto. sedes habere & epistolas accipere meruerunt. Tenebit igitur hanc modum in scripturis canonicis, vt eas q̄ ab oibus accipiuntur ecclesijs, p̄ponat eis, quas q̄dā nō accipiunt. In eis vero q̄ non accipiuntur ab oibus, p̄ponat eas q̄s plures grauiioresque accipiunt eis, quas pauciores minorisq; auctoritatis ecclesiæ tenent. Ex his Augustini verbis facile colligitur epistolam Iacobi sub eius nomine recipiendā & ab ipso apostolo editam, quia hoc grauiiores & plures recipiunt & sentiunt, quæ etiam maioris auctoritatis sunt, quam ecclesiæ Lutheranorum.

¶ Quod autem dicit epistolā Iacobi non esse Apostolico spiritu dignam, non intelligit præ furore quid dicat, qui sacrilego ore & perfricta fronte tanta conuitia, tantas contumelias audet euomere in sanctissimum Christi apostolum & fratrem dñi, cuius sacratissima scripta non tantum impium Lutherum pungunt ad viuum, sed etiā innocentiss. vita eius ostendit LVTHERVVM spiritu immundo agitari, cuius suggestione audet in Apostolum debacchari & dicere & facere ea quæ non conueniunt. Nam qui fieri potest, vt is epistolam

Apostolico spiritu indignam scribere potuerit cui sanctitatis testimonium perhibent etiam Iudæi nedum CHRISTIANI. Ex Christianis Egesippus vicinus Apostolicorum temporum (vti refert Eusebius Cæsariensis ecclesiasticæ historiæ libro secundo) in quinto commentariorum libro, de Iacobo narrans ait: Suscepit ecclesiam HIEROSOLYMAE, post Apostolos frater domini Iacobus cognomento iustus. Multi siquidem Iacobi vocabantur. Hic de vtero matris sanctus fuit, vinum & siceram non bibit, carnem nullam comedit, nunquam attōsus est, nec vnctus vnguento, nec vsus balneo. Huic soli licitum erat ingredi sancta sanctorum. Si quidem vestibus laneis non utebatur, sed lineis solusq; ingrediebatur templum, & fixis genibus pro populo deprecabatur, in tantum, vt camelorū duritiem traxisse eius genua crederetur. Itaq; pro incredibili continentia & summa iustitia appellatus est Iustus, & Oblitas, quod est interpretatum munimentum populi & iustitia. Hæc verba fere ad verbum etiam recitat B. Hieronymus in catalogo illustrium virorum. Quæ quidem idcirco a me posita sunt, vt intelligat Lutherus, quā dissimilis Apostolus fuerit illi in vita, discatq; imitari continentiam apostoli. Quomodo autem mortem passus sit pro Christo, scribit ex Christianis Clemens in septimo hypotyposeon & ex Iudæis Iosephus in vicesimo lib. antiquitatum: q̄ breuitatis causa prætermittam, quia apud Hieronymum inueniuntur & plenius apud Eusebiū Ex Iudæis sc̄t̄itatis ei testimonium p̄bet Ioseph⁹

Galat. 5.

qui propter eius necem, subuersam credit Hierosolymā. Quæ omnia (inquit) acciderunt Iudeis pro vindicta Iacobi Iusti, gerat frater Iesu qui dicitur Christus, quæ iustissimū, & piiss. oīm cōfessione virū Iudæi interfecerunt. Quanti Paulus hūc Iacobum apostolū fecerit, eo loco testatur, vbi ait: Alium autē apostolorū vidi neminē nisi Iacobum fratrem dñi. Et apostolorū super hoc crebrius acta testantur. Quæ quidem quū ita sese habeant, quo ore, aut qua ratione audeat dicere Lutherus epistolam Iacobi Apostolico spiritu esse indignam? Indignus sane est ipse qui de ea disputare debeat.

Iaco. 5.

¶ At dicit Lutherus, non licere Apost. sua autoritate sacramentū instituere, quia hoc ad solum Christū pertinet, etiā si epistola sit Iacobi. Huic cauillo ante respondimus, vbi ex euāgelio probauimus Ch̄m hoc sacramentū ante passionē suam instituisse, & ab apost. eius Iacobo promulgatū esse, sicut etiā docet Augustin. libro secundo de visitatiōe infirmorū, ca. 4. vbi quum infirmū fuisset exhortatus ad confitendū cōmunicandūq; huius sacre vnctionis sacramentū minime prætermisit dicens: Nec præmittendum est illud Apostoli Iacobi præceptum, infirmatur quis in vobis, inducat presbyteros ecclesiæ, & orent super eum, vngentes eum oleo in nomine domini, & oratio fidei saluabit infirmum, & alleuiabit eum dominus & si in peccatis sit, remittentur ei. Ergo sic roges de te, & pro te fieri, sicut dixit apostolus Iacobus, imo per Apostolum suum dominus, ip̄a videlicet olei sacra delibutio, intelligitur

spiritus sancti typicalis vnctio. Testat̄ his ver-  
bis aperte Augustinus hanc vnctionem esse sa-  
cramentū, non ab apostolo Iacobo, sed a Ch̄o  
institutū, & ab ipso per aposto. promulgatum,  
Hoc ipsum confirmat lib. de rectitudine catho-  
licæ conuersationis scribens hunc in modum:  
Quoties aliqua infirmitas occurrerit alicui, nō  
quærantur præcantatores, non diuini, non  
fortilegi, neque per fontes aut arbores, aut  
biuia phylacteria exerceantur: sed qui egrotat  
in sola dei misericordia confidat, & eucharisti-  
am cum fide & deuotione accipiat, oleumq̄  
benedictū fideliter ab ecclesia petat, vnde cor-  
pus suum vngatur: & secundum Apostolum o-  
ratio fidei saluabit infirmum, & alleuiabit eū  
dominus, non solum corporis, sed & animæ sa-  
nitatem accipiet, complebiturq̄ in illo, quod  
dominus in euangelio promisit, dicens: Omnia  
quæcunq̄ petieritis patrem in nomine meo in  
oratione, credentes accipietis. Hactenus Au-  
gustinus. Et quia Iacobus aperte asserit extre-  
mam vnctionem esse sacramentum, quod eti-  
am credit ecclesia, & Lutherus negat, propter  
ea dicit eā ep̄lam esse indignā apostolico sp̄i.

Iacobi. 5.

Matt. 21.

¶ Cæteræ mixtæ in modum nugatur de effica-  
cia signi, cōtendens vnctionē istā signū esse in-  
ane. Si vnctio ista sacramentum est, inquit, de-  
bet sine dubio esse efficax signum eius, quod si-  
gnat & promittit. At sanitatem & restitutio-  
nē infirmi promittit, sicut verba indicāt: Ora-  
tio fidei saluabit infirmum, & alleuiabit eum  
dominus. Quis autem non vider hanc promif-  
sionem in paucis impleri? Aut ergo Ap̄l's hęc

promissionē mētur, aut vnctio ista sacramen-  
tum non erit. Gloriat̄ vbiq̄ Lutherus se no-  
ua & inaudita proferre argumēta aduersus ec-  
clesiam, quam impugnat, & q̄ alijs oculos co-  
natur reddere, excæcatus ipse, non videt istud  
sophisma ante annos ducentos aut trecentos a  
sanctis doctoribus motū & solutum. Et si bo-  
nus doctor haberi vellet Lutherus, rationes et  
responsiones doctorum proponeret & expen-  
deret, essent ne efficaces, an inanes, verę an fal-  
sæ, & tum demum discussa atque cognita pri-  
us causa vel approbaret vel damnaret. Nunc  
insani ac furibundi nebulonis fungitur officio,  
absque ratiōe, iuxta sui capitis somnia da-  
mnans, q̄ alijs & scripturis & rationibus ap-  
probāt. Vt aut̄ intelligat, quam nō sit nouum  
quod proposuit argumētum, obijciā illi Tho.  
Aqui. vi. ut doctum ita & sanctum, q̄ cōtra  
corporis sanitatē, quam hoc sacramentū extre-  
mę vnctionis Lutheri sentētia promittit, eadē  
rōne cum Luthero, sed lōge sobrius ac mode-  
stius obijcit, qui etiam Apostolū nec mendacijs  
nec blasphemia arguit cum Luthero. Disputat  
aut̄ in hunc fere modum: Sacramētum semper  
habet effectum suum in eo, q̄ nō fictus acce-  
dit. At q̄ nō sanatur in corpore is q̄ hoc sa-  
cramētum accipit, quantumcūq̄ deuotus acci-  
piat, ergo sanitas corporis nō est eius affectus.  
Habet argumētum. Audiatur nunc responsionē  
Vnūquodq̄, inq̄t, sacramētum institutum est  
p̄cipue & primo ad inducēdum vnum effectū,  
quis etiā deinceps ac secundario alijs plures se q̄  
possint virtute eius. Et q̄a sacramentum efficit

Tho. Aqu.  
4. dist. 27.  
q. 1. 2. 2.

id quod figurat & signat, ideo ex ipsa sacramēti significatione debet accipere eius p̄cipuus & principalis effectus. Exhibetur autē hoc sacramentum homini secundum modum cuiusdam curatiōis ac medicamenti; sicut baptis mus per modum ablutiōis. Medicina autem homini datur ad tollendam infirmitatem. Vñ hoc sacramentū principaliter institutū est sanitatis gr̄a, vt auferatur infirmitas ea q̄ pctō facta ē. Quē admodum ergo baptis mus est q̄dam spiritualis regnatio, & p̄nitentia q̄dā spiritualis suscitatio, ita & extrema vnctio est q̄dam spiritualis medicatio seu medicina. Præterea sicut corporalis medicatio exigit corporalem vitā eius cui medicina præstatur, ita spiritualis medicina spiritualem vitam. Quāobrem hoc sacramentum licet sit medicamentum, nō tñ datur cōtra morbos, q̄bus vita spiritalis tollitur hoc est, cōtra pctm̄ originale vel mortalia, quę operātes cōtrahimus, sed magis cōtra illas ægritudines, quibus homo spiritaliter in aīa infirmatur, ita vt nō habeat perfectum vigorem ad operandū actus vitæ gr̄æ vel glorię. Et hæc infirmitas nihil aliud est q̄ quædā debilitas, & (vt ita dicā) ineptitudo, in nobis relicta ex peccato actuali vel originali. Hoc autem sacramentum præstat homini robur ac vires contra hanc debilitatem. Verum quia hoc robur non impenditur homini nisi per gratiam, quæ non patitur secum aliquod peccatum, ideo cōsequēter si inuenit peccatū aliquod vel mortale vel veniale, tollit ipsum, ita vt suscipienti sacramentum culpa remittatur, nisi obex ex parte

eius ponatur, & sibi ipsi impedimento fuerit. Propterea etiam Iacobus non absolute, sed quodammodo sub conditione aut suppositione loquitur dicens: Si in peccatis sit, remittentur ei.

Ex hac responsione beati Thomae facile declarabo obiectionem Lutheri nullius esse momenti ac prorsus nullius roboris. Quod quidem quo fiat apertius, verba Lutheri repetam, quibus verba beati Thomae opponam. Lutherus arguatur, imo nugatur, dicens: Si unctio ista sacramentum esset, esset sine dubio efficax signum eius, quod signat & promittit. Respondet diuus Thomas, hoc ipsum esse verum de principali fructu aut effectu sacramenti, qui est remissio peccati per gratiam. Sacramentum enim (ut definitur a doctoribus) est visibile signum inuisibilis gratiae, quam efficaciter & pro certo confert, nisi impedimentum fuerit in eo, qui recipit sacramentum. Non definiunt doctores sacramentum esse signum corporalis effectus, quamuis is etiam nonnunquam sequatur, sed inuisibilis gratiae. Quum ergo remissio peccati sit principalis effectus sacramenti, rectius dixisset Lutherus, si hoc modo collegisset: Sacramentum est efficax signum eius, quod promittit et signat. Atqui hoc sacramentum siue hoc signum visibile, id est extrema unctio, promittit remissionem peccatorum, quae non fit nisi per gratiam, ergo extrema unctio est sacramentum, quod docet Iacobus, & credit ecclesia. Lutherus quo in doctis imponat, quod praecipuum est, & in eo quod secundarium est, & modo consequitur, modo non consequitur, inaniter laborat.



¶ Quomodo autem extrema vnctio promittat & efficiat sanitatem corporis, non tacuit beatus Thomas, sed declarat quemadmodū debeat intelligi: Sicut, inquit, baptismus ablucendo corpus, efficit spiritalem emundationem a maculis spiritualibus: ita hoc sacramentum per medelam sacramentalem exteriorem, operatur etiam salutē interiorem. Pari quoque modo, sicut ablutio quæ fit in baptismo, habet effectum corporalis ablutionis: ita extrema vnctio habet effectum corporalis medicationis. Et quia corporalis ablutio ex ipsa naturali elementi proprietate, efficit emundationem corporis: ideo semper eā facit. Extrema vero vnctio, quia nō ex naturali proprietate materie, sed diuina virtute, quæ omnia decentissime operatur, corporis sanitatem efficit: sed tunc tantum, quando expedit sanitati animæ, quæ est supremus & præcipuus huius sacramenti effectus. Quod quum ita sit, non semper virtute huius sacramenti sequitur sanitas corporis, sed tantum quando expedit salutem spiritalem hominis, id est, animæ: modo non sit impedimentum ex parte eius qui suscipit. Verba hæc Thomæ indicant hoc sacramentū præstare sanitatem corporis semper, quando salus corporis salutem animæ utilis est: quod ille nouit, qui intuetur corda hominum & operatur in sacramētis suis. Bis ergo Lutherus culpandus est, partim quod sit blasphemus in Ap̄m, partim quod stulte irrideat ecclesiam. Est enim Apostolo verax, ecclesia veritatis columna. Lutherus autē mēdax cū misero suo sophismate. Si sequitur Apostoli autoritatem, ex verbis

apostoli sic rōcinetur & colligat: Si vnctio ista sacramentum esset, sine dubio esset efficax signum eius quod promittit & signat: sed salutē aiæ promittit, q̄ promissio non impletur, Quis non videt nunc argumentum eius esse nugacissimum & falsissimum? Est ergo hoc sacramentum vltimum & quodammodo consummatio totius spiritualis curationis, quo hō ad percipiendam gloriam p̄paratur, vñ & extrema vnctio nūcupatur. Ex quo etiam manifestum est, quod hoc sacramentum nō quibuscunq; infirmitatibus est exhibendum: sed ijs tm̄, q̄ iam morti vicini atq; adeo in ipsis mortis faucibus vidētur esse constituti: qui tm̄ si conualuerint, iterato possunt hoc sacramentum accipere, si in eandem aut similit̄ ægritudinē inciderint. Non em̄ huius sacramenti vnctio est ad consecrandum sicut vnctio confirmationis, ablutio baptismi, & q̄dam aliæ vnctiones: quæ ideo nunq̄ iterantur, quia cōsecratio semper manet, dum res cōsecrata durat ob efficaciam diuinæ virtutis cōsecrantis. Et quia vnctio hæc medicina quædā est, qua sanitas animæ depulso morbo recuperatur, toties repeti potest, quoties quis graui aliquo morbo affectus, ea indiget.

¶ Et hæctenus de extrema vnctione atq; adeo oībus sacramentis differuimus: nunc animus est finem dicendi facere, & librum tandē absoluere. Possent quidem adhuc permulta de sacramentis dici, quæ dedita opera silentio p̄terrimus. Nobis tm̄ studium fuit lectori paucis oīdere quam sacrilega sint hæreticorum dogmata, q̄ friuola argumenta, q̄ frigida rōnes, qui-

bus sacramenta ecclesiæ tanquam matris vi-  
 scera dilacerare atq; prorsus conculcare cõten-  
 dunt hoies reprobi circa fidem, plus quam o-  
 portet sapientes: & plus, quam dici potest, desi-  
 pientes. Nam quantum ad ipsos, satis dictum  
 esse puto, quia nec rationibus conuinci nec scri-  
 pturis corrigi volunt: quia eas aut non recipiunt  
 aut peruertunt, nec persuasionibus flectuntur,  
 quia subuersi sunt. Et in cunctis assertionib. eo-  
 rum vix nouum quid aut inauditum inuenitur:  
 sed quod irritum est, & diu vtilatum inter an-  
 tiquos hæreticos, a nostris autem contritum et  
 euentilatum, in quo maxime hæreticos se esse  
 declarant. Solent enim hæretici homines glorię  
 famelicij captare gloriam de singularitate sci-  
 entiæ. Vñ interdum nouas easq; erroneas opi-  
 niones gignunt, interdum sepultas & extinctas  
 hæreses resuscitant. Quod quam verum sit, faci-  
 le fuerit ex verbis Bernardi conijcere. Videte,  
 inquit, detractores, videte canes. Irrident nos,  
 quod baptizamus infantes, quod oramus pro  
 mortuis, quod sanctorum suffragia postulamus.  
 In omni genere hominum, atq; in vtroq; sexu  
 festinant proscribere Christum, in adultis &  
 paruulis, in viuis & mortuis. Hinc quidem in-  
 fantibus ex impossibilitate naturæ, inde vero  
 adultis ex difficultate continentia (nuptias em  
 damnantes omni immunditiæ laxabant habe-  
 nas) præscribentes. Porro mortuos viuentium  
 fraudantes auxilijs, viuentes nihilominus san-  
 ctorum qui discesserunt, suffragijs spoliantes.  
 Quis hic non videt nostros hæreticos dimisso  
 vitæ fonte, ex dissipatis olim hæreticorum pu-  
 teis ac lacunis, aquas turbidas ac furtiuras, que

illis iuxta scripturam, suauiores sunt, quæ-  
re? Nonne ipsis per omnia conuenit cum  
antiquis & damnatis hæreticis, qui infantium  
baptismum inanem esse deblaterant, purgato-  
rium negât, viuentes sanctorum suffragiis spo-  
liant? Quare etiam atq; etiam hortor oēs Chri-  
stianos, vt teterrimas istas hæreticorum pestes,  
olim contritas, nunc rursus nobis insultan-  
tes caputq; erigentes, deuicent fugiant, atq; ex-  
eorentur. Nec opus est frustra multa aduersus  
homines obstinatissimos dicere, sufficit innotu-  
isse illos vt vitentur. Quid enim obsecro agas  
cum illis, qui subuersi sunt, qui mori malunt q̄  
conuerti? Atq; vtinam illis in mentem (si ta-  
men quid mentis habent) veniret, mortem pec-  
catorum, quam deus non vult, esse pessimam.  
Nec enim pro Christo mori possunt, qui in eiꝰ  
ecclesia nō sunt, pro qua Christus mortuus est.  
Et ideo si tradiderint corpora sua vt ardeant,  
nihil eis proderit, sed finis eorum interitus &  
incendium. Et quid mirum, si sacramenta con-  
temnunt, si ordinibus ecclesie detrahunt, si in-  
stituta non recipiunt, si mandatis nō obediūt,  
qui ecclesiam non agnoscunt? Nam quum di-  
cunt, credimus ecclesiam, mentiuntur, quum  
non habeant ecclesiam. Non enim frustra dici-  
mus, credimus sanctā ecclesiam, vtique catho-  
licam. Nam hæretici & schismatici congrega-  
tiones suas ecclesias vocāt. Sed hæretici de deo  
falsa sentiendo fidem violant, schismatici autē  
diffissionibus iniquis a fraterna charitate dis-  
siliunt. Non ergo pertinēt ad ecclesiam Christi  
hæretici & schismatici, Vnde nec ad Christū

Tit. 9.

Ps. 1. 33.

Ezech. 8.

1. Cori. 13.

pertinent, q̄ sponsam eius ecclesiam non agno-  
 scunt. Qui quis ab ecclesia segregatur, adulte-  
 ræ coniungitur, nec pertinere potest ad Christi  
 præmia, qui relinquit ecclesiã Christi: Alienus  
 est, inquit Cyprianus, prophanus est, hostis est.  
 Habere nõ potest deum patrem, qui ecclesiam  
 non habet matrem. Et si in ecclesia Christi nõ  
 sunt, pro Christo martyrio coronari non pos-  
 sunt. Non enim pro pietate, sed impietate, nec  
 pro veritate, sed falsitate mortẽ subeunt, quan-  
 do perfidiæ pœnas dantes vltimicibus flammis  
 exuruntur. Nos ergo qui precioso sangui-  
 ne Christi redẽpti sumus, & ab infantia Chri-  
 stiano lacte nutriti, duces nostros sequamur a-  
 postolos, sanam ecclesiæ doctrinam amplecti-  
 mur, doctrinis varijs & peregrinis a via veri-  
 tatis non abducamur, & sacrilega hæretico-  
 rum dogmata, quoad fieri potest, execremur  
 atque fugiamus. Beatus enim vir, qui  
 non abiit in consilio impiorum, et  
 in via peccatorum nõ stetit,  
 & in cathedra pesti-  
 lentiæ non sedit.

Cypri. de  
simp. flat.

H. b. 12.

Psalm. 7.

FINIS.

